

30.

Q. D. B. V.
HETERIATRIAM
PRÆSIDE
M. JOHANN. VVOLFG. RENTSCHIO,
Fac. Phil. Adj.
examinabit publicè
JOHANN. CHRISTOPH. LEDERERUS,
W. S.
Die XX. Septembris.

WITTEBERGE, Typis Johannis Hakeni, 1664.

60.

a. XCV. 44.

coll. diss. A
45, 44





J. J.

§. 1.



Hysicum dogma est, quod impræsentis sistimus: Corporum qualitates enim nisi Physicum Dominium non agnoscunt. Exulent aliarum Disciplinarum propria! Medicina quæ Physicæ nonnunquam affinis est, sacra habetur meritò. Ventilent quæ ad eam spectant superiores Cathedræ, nos in nostris quod agamus, invenimus. Alienior à confusione mens est; & fuit semper. Annirendum in idem hic operosius, quo majorem cum aliis hæc nostra cognitionem habent. Nollemus tamen & nobis derogari quicquam. Vendimus pro nostris quæcunque naturalia sunt, vel putantur. Est enim & illud nostrum, ut ostendamus; non esse.

2. Heteriatriam alieni curam esse, patet jam ex nomine. Appli-
candum medicamen, nunquam laboranti est: substituendum e-
jus loco aliud. Celebre Unguentum armarium est hoc nomine,
quod Paracelsus olim Maximiliano tradidit. Absit vulneratus
per plura millaria; Curabitur eodem incio vulnus, si telum
quo sauciatus est, præstò sit. Non opus inæstimabili apparatu
est. Usnea, adeps humanus, mumia, humanus sanguis, oleum lini,
zerebinthina, bolusq; Armenus ad tantum mysterium sufficiunt.
Crollio, usnea è cranio hominis perempti morte violenta, Lună
crescente & in Fortunæ domo, cum verris aprugni cerebro re-
quiritur. Alii alia adhibent. Nihil enim in re incerta certi.

3. Ejusdem farinæ est, quod novissimè Kenelmus Digbeus,
Angliae Cancellarius Monte pessulano, de pulvere Sympathetico
proposuit. Adhibet hic Unguenti loco, vitriolum. Præpara-
tio talis est. Mense Julio vel Augusto, dum Sol versatur in Le-
one exponitur radiis Solaribus per 360. horas vitriolum, ut cal-

cinetur probè. Cavendum autem sedulò , ne interea , imbrum tempore , abeat pulvis in liquorem. Neve ullum ferrum tangat. Post 360. horas asservatur studiosè , ne futuræ praxi fiat inidoneum.

4. Non caret successu propositum. Habet Digbæus experimentum sufficiens. Repetemus id ex eodem : ut & utendi modus innotescat , & quid fundamenti habeat. Dominus Jacobus Hovvel, Duci de Bouquanigan à Secretis gravissimè casu quodam vulnerabatur. Timebant Chirurgi, ne gangræna accederet. Adebat DN. Hovvel , Digbæum solicitat , ut opem ferre velit. Petit Digbæus linteum quoddam maculatum sanguine. Ille periscelidem , quā priùs loco fasciæ utebatur adferri curat. Hæc dum aguntur pollubrium aquâ plenum , veluti manus lavature apportent jubeo. (ita de se Digbæus loquitur.) unaq; pugillum pulveris vitrioli , quem in Musæo in promptu habebam , accipio , eumq; in aqua actutum dissolvo. Dein periscelidem ut primùm allata fuerat in pollubrum injicio , semper studiosè observans , quomodo interea DN. Howel se gerat. Collequebatur cuidam Nobili in quodam cubiculi angulo stanti , parùm advertens quid rei ego molirer. Et ecce ! Subito præ latitia exiliebat , edebatq; actionem , ac si magnæ persentiret commotionem . Causam hujus rei inquirenti respondeat ; se quidem nescire quid ipsi acciderit , nihil tamen minus sentire , quod nullo amplius dolore afficiatur. Videtur mihi pergebat ille ac si frigidior aura instar linteis seu mappellæ frigidæ ac humidæ supra manum meam se expandat , omnem tollens inflammationem , que ante a mirum , quantum me excruciauerat. Et paulò post. Existens talis fuit , quod nimirum periscelidem ex aqua extraxerim , eamq; ad luculentum ignem exsiccaverim. Eā vix probè exsiccatā (ad quod perficiendum opus erat ut benè calefieret) enī famulus DN. Howel adebat , mibiq; narrat , non diue esse quod Dominus tām acerbo afficiatur dolore , quām unquam hactenus senserit ; idq; cum tanto caloris excessu , ac si manus ejus ardentibus prunis obtegerentur. Ipsi respondebam , licet hoc ipsi malum nunc acciderit , tamen nihil prohibetur , quò minus brevi temporis spacio optima valetudine uteretur ; me insuper mali hujus causam non ignorare , ejusq; curam & rationem habiturum , foreq; ut DN. ab omni prorsus dolore & inflam-

matio-

matione citius liberetur , quām ille hanc rem eidem confirmaturus domum redux esse possit. Et c. eodemq; temporis momento periscelidem denuō in ~~quam~~ immergo' , quō facto etiam si vix duos abhinc passus aedes distabant, dominum & sine dolore & bene habentem invenerat ; quin imò priusquām domum pervenerat, omnis jam cruciatus penitus cessarāt , Et intra quinq; vel sex dies vulnus ad cicatricem perductum & sanatum perfectè fuerat.

5. Non vacat nunc omnia quæ huc pertinent, adducere. Vulgare est, & nemini non ferè probatum ; acumen extractum pede, lardo infigi. Podagram sanari, si pili & unguis pedū & tibiarum resecta, in foramine quercus usq; ad meditullium inciso abscondantur. Pari ratione icterum sananr. Ex urina patientis cineribus fraxini subacta, placentulas formant, in quarum singulis (verba sunt Athanasii Kircheri Magnetism.) foramen faciunt, eui Urinam cum pauxillo croci infundunt, & sic tuto loco, donec consummantur aut etiam igni evaporandum exponunt, & cum eo icterum quoque consumi volunt. Ita Lepram, hydropem &c. sanari ex Ernesti Burggravii Cura Morborum Magnetica docet Harsdorfferus, Delic. Mathem. Tom. III. part. io. quæst. 28. Quo etiam referri suo modo possunt Talismani, imagines, sigilla, signaturæ, & quæ hujus generis infinita alia.

6. Intricata res est ; Nec invenias facile in quo acquiescas. Dissentiunt Eruditissimi & scinduntur in divortia. Poterunt tamen sub duobus quasi vexillis litigantes sisti, quorum alteri omnem medicamenti efficaciam negat, alteri adstruunt ; sed diversis utrique argumentis. Ex prioribus quidam dæmoni ascribunt effectum, quidam soli naturæ, quæ non intercedente etiam hoc medio, studiosa nihilominus integritatis est. Watsonii sanè illa est sententia : *Cœunt inquit vulnera propria virtute naturæ operantis, sive quis tela circumliget sive non.* Posteriorès vel atomos allegant, vel animam mundi, vel occultas qualitates vel astrorum efficaciam. Cæteros qui neutri parti se adjungunt, idq; Sapientiæ humanae partem interpretantur, quædam a quo animo ignorare velle, studio qmittimus.

7. Nos temerè quid rejiciendum non ducimus. *Miranda*
natura est: opera edit miranda. Adi magnetem qui dubitas, &
magnam esse naturam consenties oppidò. Magica ferri tra-
ctio qvin visa sit veteribus, ecqvisdubitabit? Nemo compre-
henperē modum potuit. Verè *Scaliger* alibi. Latent causæ tem-
peratos animos, illudunt curiosis. Magicum habuerunt Ante-
cessores quod de *Muhamedis* ferretro *Meccæ* pendente falsò cir-
cumfertur: Tentavit idem tamen absque maleficio *Dinocrates*
ap. *Plin. l.34. c.14.* Monstravit similia *Kircherus* in *Arte Magnetica*,
qui inter cætera columbam ferream fecit volatilem. Magica
non statim sunt quæ non capimus. Potest eadem nos ignoran-
tia quæ veteres decipere; concedimus. Latent adhuc in natura,
quæ post hæc secula admirari possis.

8. De cætero credulum esse Physicum & absqve discri-
mine arripere quævis, dedecet. Scientia Physica est: Physicus
sciens. Contra officium facit si opinatur. Manet in thesi, donec
evidentiùs res se prodat. Vituperandi essent Veteres, si ad pri-
mam statim magnetis famam cessissent. Examinandus erat ac-
curatiùs; nec sufficiebat experimentum unum. Postqvam jam
de veritate constat, non refragamur amplius. Lateat modus, &
vel Oedipum fallat: res ipsa clara est.

9. Patet hinc insimul quid de de qualitibus occultis sen-
tiamus. Veneramur sanctè hæc naturæ mysteria, & colimus. Neq;
enim ferre censuram arrogantem dicam an stolidam Sciolorum
possimus, ignorantiae asylum clamantium.. Licebit cum
Scaligero quærere: *Quis vos malus genius adegit eò, ut omnia ma-*
nifestis tribueretis? Ad manifestas, omnia deducere qualitates sum-
ma impudentia est! Addimus: Ad occultas re nondum sufficienter
cognitæ imprudentia. Et sanè; si singula occultis qualitatibus
quæ non capis, adscribis, quæ tandem præstigiæ non erunt natu-
ralia?

10. Qued atomos attinet, quarum virtutem *Dibœus*
imprimis urget, notamus: *Nos ultræ easdem afferere, variorumq;*
effectuum causas profiteri, sed diversa tamen explicatione. Nobis
nulla quantitas in infinitum divisibilis est. Abhorret ab infinito
sæcæ natura; nec potest ultra limites pergere. Frustra *Dibœus*
inibi,

inibi, ac pro atomis non laborat. Atomus est corpusculum individuum. Ergo Dighai atomus, atomus non est. Est enim divisibilis. Nec quicquam huc Geometrica demonstratio ex Euclid. VI.10. Sit magna in se & infallibilis, huc certe minus quadrat. De qua enim quæsto divisibilitate loquitur? De Mathematica, de mentali; de ea quæ potentialis dicitur. Ast de qua queritur impræsenti? De Physica, reali, & ea quæ actu existit. Fallit pudibunda confusio, ac nunquam non errores fœcundè partitur.

II. Astralem autem Spiritum, ac Magnale Magnalium, quod nonnulli crepant, lacrumis quam argumentis digniora esse credimus. Evidem vim astrorum magnam esse agnoscimus, nec quisquam sapientum negat. At quid astra ad hæc Unguentas? Quid est illud Magnale? Verbis student nefarii homines, quæ nec ipsi nec alij capiunt, ut delitescens occultent venenum. Nec quicquam frivola Crolii ratio quam allegat ponderis haberet. Si manifestius inquit scripsisset, (loquitur autem de Paracelso) tunc Circumforanei & vulgares Alchimistæ medicos omnes superaserent, ac artem prostituerent, magna nature injuria. Quasi vero id injuriosum Medicinae fuisset? Imo hoc modo cecidissent circumforanei prorsus, cum quivis Paterfamilias medendi artem intellexisset. Miramur autem Papinium huic sententiae Goëlenianæ refragari adest, cum alias aetheræ substantia nec animata nec in animata tribuat plurimum.

12. Animam mundi exulare jubemus omnino. Explosa enim hæc sententia diu est à sapientioribus. Et quid quæsto mundus est? Ens per aggregationem. At quadratne in hoc anima? Anima sanè unitatis amans est, non multitudinis: Coniungit quippe sibi materiam eamque fovet. Anima corporis est, entis unius. Non quadrant hæc in mundum, qui corporum potius compages est, corpus non est. Si DEUM hoc appellare nomine lubeat, jam tūm causâ cecidisti. Quærimus enim impræsenti Physicam causam & naturalem, non extraordinariam & supranaturalem. Hanc Sancte veneramur & colimus. Illam cum non ens sit occurrere his loci pernegamus. Notamus au-

cepimus

tem denuò Papinij inconstantiam. Recenset pag. 315. & seqq. Platonis & aliorum de anima mundi sententiam hancq; apponit
Επίκετη IV.: Quām parum rationi consentanea sit Platonis sententia cum quicquid est in hac mundana scena animatum, ejusdemq; forme particeps esse contendit urgere necessum non videtur. Ex se se enim ipsa cerruit, absurditatum quæ hinc subsequuntur numerosa phalange. Et tamen in subsequentibus animam mundi expressè defendit; Hincq; multa quæ occultissima hactenus in rerum natura habitas sunt facillimè detegi, & Sympatheticæ medicationis rationem magis elucere afferit.

13. Prolixius hæc diduximus, ut quæ circa fundamenta mēs sit constaret clariùs. Nunc obstacula recensēbim⁹, quæ inhibent assensum nostrum, totumq; negotium reddunt suspectum. Paracelsus uti monitū supra primus est Unguenti inventor. Pulverem ab Jndo quodam Monacho accepit Digbeus, quem non abs abs re Fanaticum, & Qvakerorum ingenuam sobolem fuisse suspicamus. Ostendunt id plurima ex ejus Oratione loca. De Paracelsi Magicis & superstitionis dogmatibus nemo dubitat. Ipse l.5. de Morbis Invisibil. Ægyptios Magos defendit, nec renuit eorum consortia. At quid bone Deus in Magis boni? Incantamentis rem perfecerunt, Scripturā teste. Ergo nec naturæ viribus nec Divinis. Sed quid his opus? Dudum jam qualis quantusq; fuerit Paracelsus monstravit Johann Neander Natalis Medicin. Refert idem inter cætera: Basileæ aliquando docuisse de morborum exorcismis. Reprehensum ob id respondisse; Will GÖTT nicht helfen/ so helfe der Teuffel. Nosce lector ex ungue Leonem. Si plura desideras Neandrum lege. Pulverem Monachus proposuit primus ex India & Chinensi regno redux, quem nec Digbeus ipse nominare ausus est. Rediit ex Oriente; nec mora, postquam tradidit, Digbeo secretum; in Orientem revertitur denuò. Solus Digbeus restat in Europa qui habet mystrium cognitū. Tenerima res religio est, & vel cogitatione potest laedi.

14. Sed hæc de autore, & falsi latentis metu. Nunc ad ipsam rem. Fortissimè ni failimur pugnabit contra assertores hujus

hujus pulveris omnium naturaliter agentium ratio. Omne agens agit per contactum in patiens. Ast nullus inter pulvrem & vulneratum contactus. De corporali & immediato nemo dubitat : Jacet aspersum linteum & quiescit, vulnerato per complura spacia distante. Restat ut vel ad effluvia recurras, vel ad qualitates intentionales. Prius *Digbeus* sequitur & omni vi propugnat. Nos tantam effluviorum copiam impossibilem esse asserimus, nec enim pauxillum pulveris, etsi in atomos abiret prorsus, sufficere ad tantam intercapacinem posset. Falsa sunt quæ de infinita divisione habet, nec huc quadrare possunt. Nullum corpus in infinitum dividitur. Progressus in infinitum contrarius semper est naturæ. Sequeretur etiam (*Athenaei Kircheri verba sunt Magnetism. l. 3. part. 8. c. 2.*) Mundum necessariò dissolutum iri, cum nemo Romæ juxta enormis hujus Philosophiæ Principia à basiliscis Lybicis, dyscadibus Ægyptiacis, draconibus africanis eorumque virulento flatu, seu vi venenifera indeterminata, securus esse posset. Uereremur hic ab incendio Ætnæ, à Napelli alpini effluvio vertigines patemur: ab exhalationibus lethiferis speluncæ letheæ periclitaremur. Quæ omnia ridicula, indigna. ἐτερόδοξα divinæ humanaeque philosophiæ contraria sunt.

15. At ponamus distantiam adeo magnam non esse ægri & pulveris; quæritur quo medio ad vulnus deferantur atomi? Certum est movendas esse, siquidem spacio jam, utut exiguō, distant. At quali motu, violentone an naturali? Non naturali: Notum enim est sublunaria inanimata, naturali motu vel sursum ferri vel deorsum. Gravitas & levitas, elementares qualitates hoc requirunt. Ast hoc modo certus ægri & pulveris positus observandus erit. Nisi forsitan cum *Kirchero inscrut. Pestis. vivas atomos, aut prorsus intelligentes habeas. Poterunt illæ demum proponere metam, & sicuti aberrent, ex obviantibus viam quærere. Sed nec hoc asserit *Digbeus*: statuminat enim motum violentum. Quintum ei principium hoc est. Corpuscula quæ aërem cumulatè explet componuntq; interdum per viam plane ab ilia, quam cause eorum Universales ipsis præscribere deberent, diffe-*

B

ren-

rentem attrabi. Hoc vult. Egredi è pulverè effluvia, & hæc rete
in aere; attrahi deinceps unà cum aere à vulnere. Pudibundum
sanè diverticulum pro demonstratione. Nos monstrabimus,
violentum motum huic negotio esse ineptum. Violentus mo-
tus vel propellendo fit vel attrahendo. Principium propellens
præstò non est. Ventum allegare nemo potest. Imo contrarius
is est huic sententiæ. Infestant procellæ aerem nec datur ferè
tempus quo quiescat omnino aura. Sed ferri hoc modo po-
test orientem versus aer, in occidente constituto ægro. Aut si o-
mnino faveat votis heteriatri, non nisi per accidens æger san-
getur, quod nemo illorum concedit.

10. Restat attractio. Ast quæ quæso in hac spes esse poterit?
Considera eam accuratiùs, & videbis oppidò extrema necessa-
riò propiora præsupponi. Ulterius. Quid attrahi potest à vul-
nere fasciis involuto? Involvunt enim ne nocivus aer infe-
stet. Aut qua fini attrahitur aer? ubi manet? an in vulnere?
an transpirat denuò? Aut si omnino attrahit aerem vulnus; ne-
ce sse tamen est; eum attrahi priùs, qui prior est, donec is de-
mum qui circumstabat aspersum pulvere linteum succedat. Ne-
que enim quenquam futurum arbitror, qui penetrationem di-
mensionum afferat. Si hoc; opus est longo tempore, ut adve-
niat demum vitriolo repletus aer: Nec verum esse potest, quod
de Howel narrat, ipso momento sensisse levamen. Ast absurditi-
atem nemo non palpare potest. Fingitur vulneratus instar
folium, qui semper attrahunt noviter & expirant alibi majo-
ri impetu. Ego verò non attrahi similia à vulnere, monstrabo
clarissimè. Habet dubio procul v. g. sanguis dum adhuc inest
venis, majorem cum ægro harmoniam, quam postquam inpus
jam abiit, & emoruum est. At si attractivam vim haberet vul-
nus, non exciderent illa quæ harmonia fuit. Quod si verò hæc
non attrahuntur aut continentur quæ analogiam majorem ha-
bent, quid fiet de illis quæ minorem?

17. Piget nugarum ac pudet. Non possum tamen quin &
illorum attingam sententiam quæ facultatem hanc ab astris im-
pressam afferunt. Est ex horum numero cum Goclenio juniore
etiam

etiam *Erycius Mobyus*, qui Princípium actionis Sympatheticæ facultatem ab aliis impressam & affinem influentiis afferit, quo etiam inclinare videtur modus vitriolum præparandi §. 3. allegatus; exponendum solis radio vitriolum esse, dum sol versatur in domo propria &c. Ita igitur Astrologicis regulis tegere falsicias laborant, & hoc ipso in prima Astrologie principia impingunt. Non prolixus ero in eo, quid de dignitatibus Planetaryum essentialibus & dominibus propriis sit habendum? Malo hanc in re aliorum legere vestigia, quam noviter errare: Ex ipsi tantum Astrologorum principiis pauca adducam. Generaliter monent: Non esse ex uno significatore pronunciandum. Attendendas esse omnes circūstantias. Ita pluribus in locis *Schonerus*, *Ptolemaeus*, *Ranzovius*, *Cardanus*, *Leovitus*, *Origanus*, alii. Hi verò ex sola domo propria argumentantur. Quid quæso diceres ex Astrologorum mente si Dominus anni & quartæ esset maleficus & quid si vitriolum primitus exponeretur soli, tali tempore, quo Sol occupat domum XII. quam Cacodæmonem vocitant? Quid si maleficus læderet hostiliter solem? Dicam ulterius. Ex crassa Astrologiæ ignorantia adhibetur Sol in Leone huic negotio. Conveniunt Astrologi Leonē esse ex Trigono igneo. Conveniunt, Solem in Leone positum esse calidissimum. At quid requirunt vulnera? Nocet intensior caliditas & inflammationem parit. Consulatur *Digbeus*, Respondebit aquæ frigus hic prodesse, calorem nocumento. Præcipiunt autem, si hos velis imitari, Astrologi, quodvis membrum læsum sanandum esse sub certo signo. Observet has superstitiones *Moby*, & exclamare desinat: *Non esse superstitionem methodum.*

18. Hæc ex Astrologorum mente & κατ' Αὐθωπον. Si quis vellet progredi ulterius, posset probationis defectum exprobare acriter. Non sufficit dixisse, *sanat pulvis vi astrali*. Probandum hoc erat, non nudè asserendum. Habent hoc in proletario Disputationis genere Respondentes, ut absque probatione dicant. In arduo & severo ajentis est probatio. Non assumitur tale privilegium citra veritatis præjudicium. Stellæ ipsæ nec habent

habent hanc vina nee habere affectant. Secus nec opus effet vitriolo. Ludit dæmon & temerariè cœdules astrorum decipit prætextu. Ast veteri perquam & noto stratagemate. Præstítit ante plura secula idem. Hinc non nisi sacro horrore, Diu-næ comminationes leguntur passim, & invectivæ in hos Astro-logos. Hinc ipse Imperator maleficis hos maleferiatos in Legibus associat.

19. Sed revertimur ad *Digbæum*, monstraturi absurdæ. Nec natura vulneris hanc methodum admittit! Plura requiruntur ad sanationem vulneris. Absurdus & in hoc *Digbaus* est. Extractrix vis requirit ut purulentum separetur. Requiritur consolidatrix, ut & uniri sejuncta possint. Ast suntne hæc & alia in vitriolo? aut in aqua cui immergitur? Aut in aere qui circumstat? aut in omnibus conjunctim? Elige quæ placent, & semper sequetur: Ergo sanaretur longè citius vulnus, si ipsi applicaretur medicina. Porrò diversa vulnera sunt; diversa igitur aut contraria desiderant medicamenta. Absurdum itaque, vel si quid dici potest amplius, dogma est, non nisi virgis aut carnificis manu refellendum. Ne rideas Lector, omitto reliqua. Spondent autem sanationem etiam absque ullo dolore. Quod an in nervo læso fieri possit judica. Sed de his fusiùs Medicis.

20. Dolemus autem miseros imposterum Chirurgos, quorum nunc labuntur officia. Incogitantiam Paracelsistarum miramur. Non erat hoc Præceptoris vestri consilium. Cavebat ille sedulò, uti relatū supra est ex Crollio, ne quid propalaretur arcani, quod in rei Medicæ vergeret injuriam. Ubi nunc illa prudentia? ubi memoria? Circumforanei jam totis viribus in id incumbent, ut ordinarios Medicos deprimant. Tanti criminis rei estis? & gloriam adhuc aucupamini. Sed nec hæc forsitan spes frustrabit auguror. Viam monstratis perveniendi ad fortitudinem. Nemo amplius timebit corpori; Nec doloribus movebitur. Parata jam his omnibus Medicina est. Scilicet!

21. Nunc progrediendum porrò est, & causa restituti vulneris indaganda. Causa est in *Digbei* experimento aquæ frigus.

frigus. Quamprimum enim aquæ imposita periscelis, ecce! Dominus Howel subito pœlætitia exiliebat, edebatq; actionem, ac si magnam persentiret commotionem. Et porrò: Quamprimum periscelis ex aqua extremita ac ad luculentum signem probè exsiccata erat, en! Famulus DN. Howel adest, narratq;, non diu eſſe, quod Dominus tam acerbo dolore afficiatur, quam unq. hactenus senserit, idq; cum tanto caloris aſtu, ac si manus ejus ardentibus prunis obtegerentur. &c. Non disputabo nunc de aquæ efficacia, & an illa ad vulnus sanandum conducat? Medicorum id esto iudicium. Quæram tantum an aqua forsitan majorem habeat efficaciam sanguini & vitriolo juncta? Vel an majorem habeat vim si procul à vulnera remota sit, quam si adjungatur proximè? Ponamus tantisper vittutem sanandi his omnibus inesse. Nemo tamen qui mente captus non est, affirmabit majorem efficaciam inesse absentibus, quam immediatè junctis.

22. At quæres forsitan, unde illi effectus? Testari de experientia tot illustres Vicos. Non posse bis denegari fidem. At non semper respondisse promissis eventum ex Guilielm. Fabricii Observ. 25. Cent. 3. observavit B. Sennertus. Si respondit, non sanè vel emplasti vel pulveris efficacia factum. Nec testari ullus potest, Pulverem fuisse causam. Hoc potest: Sanatum eſſe vulnus, & eodem tempore applicatum fuisse linteō medicamen. Nihil præterea. Naturæ igitur adscribunt, quæ vulnera sanat, nec medicamine opus habet. Cōprobat id experientia Cæsaris Magati. Sanatur vulnus inflictum cani, absque emplastro. Mundum tantum sit, nec purulentia impediatur. Nulla in canina lingua vis sanandi est, sola abstensione res perficitur.

23. Me quod attinet, mallem hic subsistere, nec odiosi & capitalis criminis, viros cæterā doctos & Claros arguere. Vincit modestiam pertinacia & quæ pectore premuntur, extorquet invito. Sed quid dubito? Ausim asserere: Dæmonis operas eſſe quotcunq; vel armarium Unguentum, vel Sympatheticum pulverem adhibuisti! Horret nefandi sceleris mentione animus & obstupeſcit. Nullum enim atrocius crimen vel excogitari potest. Fugite hinc ô boni, ac igne expiandum facinus aversamini!

24. Frustra igitur Erycius Moby cap. 2. à superstitione
absolvit hunc pulverem. Age inquit, Critice, qui superstitionem
hic arguis; Ostende ubi lateat? Cedo pactum cum Dæmone tacitum
vel expressum? An illud intervenisse inter curationis autorē censes?
Hē! quāmparū solide! Ilnde & qua ratione istud colligis? Ergo qui
primus Rhabarbaro agarico & aliis catarcticis corpora purgavit;
qui paeonia appensa morbum comitiale profligavit, sortilegum dæ-
monologum vè censes? Si hoc negas; & istud nego. Denig, cedo
locum, cedo autorem, cedo tempus, quo pactum hoc initium? Qua-
si verò idem sit Rhabarbarum cum pulvere vitrioli. Pudet ex-
ceptiunculæ! Nec tantillum pulvis tuus habet, quod cum Rha-
barbaro in applicationis negotio possit componi. Illud enim
nisi absorbeatur; nisi intimè vitiosos humores attingat, non
purgat.

25. Temporis autem locivè denominatio hic necessaria
non est. Nec Tu mi Moby vel famosissimæ sagæ temporis aut
loci circumstantias expones. An igitur insons? An igitur juxta
te naturalibus qualitatibus agit? Vide qua fronte hæc scripse-
ris? Illæ circumstantiæ ad rem non faciunt. Constat tantum
de facto. Sed habent hanc exceptionem cum omnibus sagis
communem, sicuti ipsum quoque commune pactum. De au-
tore vero quod glorietur non habet. Dictum supra est, quis
Paracelsus fuerit.

26. Pactum ipsum cum dæmone initium vel expressum,
est, vel tacitum. Prioris autor hujus medicaminis reus est;
Posterioris, Discipuli. Agnoscit tesseram autori & sibi com-
munem etiam in discipulis humanus hostis, & non nisi prom-
ptè respondet vocantibus. Autorem a. Magicum fuisse nemo
dubitat. Quid fieri de successoribus? Porro. Conveniunt omnes,
dignosci pactum cum dæmone initum primò: si effectus supe-
ret naturæ vires. At hoc ipso causâ cadunt defensores. Impos-
sibile toti naturæ est agere in infinitum! Habet quodvis agens
naturale, activitatis sphæram; solus hic pulvis in infinitum a-
git. Impossibile est toti naturæ universale medicamentum;

Con-

Contrariæ qualitates contrariis auferendæ sunt. Non lenit idem æstum, & calorem inducit exanimi. Requiruntur igitur contraria. At hæc in uno convenire non possunt: Expelluntur invicem, & incompatibilia sunt. Solus Sympatheticus pulvis (si placet dæmonem adde) hoc habet privilegium.

27. Alterum diabolici pacti indicium est; si adhibeantur vitiosæ circumstantiæ & ceremoniæ. At quot bone Deus hic concurrunt? Unguentum armarium tales ceremonias præsupponere monstrarunt alii; De pulvere pauca notabimus. Vitiosa circumstantia est *aspersio alienæ rei, quām lœsa*. Vulnus debet sanari: Vulneri igitur applicandus pulvis est. Nemo applicat novaculam pedibus si refecanda barba sit. Nemo plectrum admoveat panduræ, si audire velit tibiam. Et hi sapientiam interpretantur, linteum per longa spacia distas illinire, ut coëct hiantius vulnus!

28. Vitiosa circumstantia est mensis Julii observatio. Mense enim Julio exponendum vitriolum soli est. Quasi verò in mense aliquid arcani? Nec quicquam Solis in Leone positus. Leo signum est imaginarium. Ut plus dicam: Non-ens est. Quialis autem non entis effectus? Stellas influxum habere concedimus; imaginaria puncta negamus. Non igitur aliū naturæ sol est in hoc punto, aliū in alio. Radios jaculari potest ex diversis locis diversos, obliqua enim est Ecliptica: aliud ob imaginarium punctum operari non potest. Si ad majorem radii altitudinem configis; gradualem concedimus differentiam. Cur autem hac de causa non in Canozo præparas? Ibi enim verticalior Sole est. Denique: Hoc modo insigni commodo priuantur Zonæ frigidæ antarcticæ inhabitatores. Illis enim nunquam Leo oritur. Quo modo nunc illi præparabunt vitriolum?

29. Vitiosa circumstantia est 360. horarum numeratio. Tempus consistit in quantitate. Quantitatis autem nulla efficacia. Nullum in numero 360. mysterium. Assumptus enim est pro lubitu. Potuissent plures fingi circulorum partes. Imo si ex natura Solaris motus res æstimetur, debuissent. 365. diebus sol
integ

integrum ferè Zodiacum absolvit. Neque tamen assumpti sunt
365. o. Sed hæc ad numerum. Si finem compares cum mediis,
apparebit frustra certam horam determinari. Solaris calor
non idem est diebus singulis. Inæqualis igitur vitrioli calci-
ratio. Nec poterit tantum perfici hæc hora quam aliâ.

30. Vitiosa circumstantia est ferri prohibitio. Quid quæso
ferrum ad vitriolum. Nisi hæc phantastica circumstantia est, &
diabolica ceremonia; nulla est. Forsan eo ipso quo conjungitur
ferro, ferri quoque induit pulvis insolem, ac pro medicina in
cujus paratus usum est, mortem affert, aut infligit ferri instar
vulnera? Fanaticum somnium est, quæcunque demum causa
afferri potest. Monitos autem quoscunque in fine volumus, ut
sapiant. Si nondum apodicticè hactenus pactum monstratum
est, dubium ad minimum deesse non potest. Monent jam o-
mnes & pleno gutture clamant: *In dubia conscientia sequendam*,
viam tutiorem. Tutius est si negligas hanc praxin, si ordinaria
adhibeas media & perspecta. Cetera commenda DEO & ejus
auxilio unicè confide.

13. Restat ut paucis subjungamus Digbæi, Principia, qui-
bus actionem pulveris adstruit. Septem ponit hypotheses, ex
quibus necessariò dogma suum fluere putat. Prima est. *Quod*
omnis orbis seu sphæra aeris luce repleta sit. Sequemur assertionem
& quid alat monstri, paucis videbimus. Supponit bonus vir
absurdissimè: Lucem esse corpus; Repletum esse aerem luce ait.
Pertinet hoc ad substantias materiales. Nec difficitur ipse. Si ne-
cessitas inquit postularet, probarem lucem esse substantiam materia-
lem, atq; Corporalem, non incomprehensibilem qualitatem, quemad-
modum multi in Scholis persuaderi conatur. Optanda esset, de-
monstratio; solis promissis enim non stamus. Dabimus nos
autem contrarium. Notum est nullum corpus permeare aliud.
Habet propriū immediate quantitas; esse in proprio & peculiari
spacio. Notum est lucem pellucida penetrare. Illuminatum
Museum est, clausis fenestris. Aer ipse illuminatus est ubicunq; ve
patet accessus. Collige nunc vel penetrationem dimensionum
dari, vel lucem corpus non esse. Porro. Nulla substantiam an-
nihil-

nihilatur. Lux si lucidum auferatur extinguitur. Obscurantur omnia si sol infra horizontem mergitur. Ubi lux manet? perit sanè & annihilatur prorsus: Qyanquam nec propriè annihilatur quidem, quod intentionale fuit. Et quid quæso fiet procellarum tempore? Obnubilatus aer est, nec sensibilis ferè lux appetet. An igitur tum temporis vacuum? Abest enim ex Digbæi sententia corpus, quod replere debebat hiatum! Absurdè. Non dicam nunc de divisione aeris in spheras. Nec quicquam addam de obscuris locis, quæ illuminari nequeunt: quibus falsitas propositionis innotescit.

32. Alterum Principium est. *Quod luce dicto modo incidente, radij particulas quasdam s. atomos inde tollant, secumq; auferant, non aliter ac pila lusoria quandam ex muro vel pariete contra quem propellitur humiditatem auferret, si gypsum adhuc humidum esset.* Innititur hoc præcedenti: quo sublato, labitur. Et quorsum quæso auferuntur atomi? quorsum radij? An sursum? an deorsum? an ad latera? si sursum vel deorsum, quomodo perveniunt ad vultus? Ad latera si feruntur, dubio procul ferendi sunt versus occidentem, siquidem substantiales sint ex hypothesi, & necessariò solem sequantur. Ponatur nunc in orientali meridionali, vel septentrionali plaga æger; & frustranea erit omnis operatio, siquidem ad eum venire nequeant radij: Sed ad Principium specialiter. *Auferunt, inquit, atomi aliquid secum.* Quorsum quæso aut qua fini? Ego ajo nihil auferre. Sequeretur enim hoc modo, absumi palatia, muros, valla & quicquid resistere potest à radiis solaribus. Forsan ut Solis, Lunæ & cæterarum stellarum inhabitatoribus veniant usui. Mirum sanè est terram adhuc pristinæ loco inveniri, cum Sol 6000. fere annos ex eadem varia decerpserit inque alia loca transportarit. Illud autem admodum ridiculum est quod addit, quando *Sol caput supra Horizontem tot milliarium militiam brevi & quasi imperceptibili temporis spatio emetiens, attollit non potest quin.*

parva ibi vulnera, raritati sua ac subtilitati respondentia, im-
primat: Quasi verò terram antequam nobis ortus est non
illuminarit? Oblitus est terram esse rotundam & Horiz-
ontem ens rationis. Hoc dico. Lux per te corpus est, &
semper solē sequitur. Non opus igitur multa milliarū mi-
llia. Imo non possunt ea dari impereetibili téporis spacio
Circumvolvit n. ex hac hypothesi Lux, per universam
terram. Ac in maximo circulo quovis horæ quadrante 55.
millaria absolvit. Si autem absolvit Sol luce sua multa
milliarum millia, non potest lux substantia esse, utpote
quæ permaneret, nec opus haberet Sol semper novos pro-
ducere radios, ac permille milliaria spargere. Contradi-
ctoria igitur Principia sunt.

32. Tertium Principium est: *Aerem undiquaque*
bisce corpusculis sive atomis plenum esse; vel potius id quod nos
aerem appellamus nil nisi mixtionem & confusionem talium a-
tomorum esse, ubi quidem partes aeræ predominantur. Hoc
Principium omnium falsissimum est. Aerem impurum,
esse alicubi concedimus. Universum esse confusum, vel
prorsus constare ex aliis corporibus negamus. Debebas
recordari mi Digby effluvia in superiorem aeris regionem
non penetrare. Deinde aliud est impurum esse, & conti-
nere aliud quid. Aliud constare prorsus ex heterogeneis.

34. Quartum Geometricum est. *Omne corpus et si minimæ*
sit quantitatis in infinitum posse dividii. Id inquit facile pate-
bit ei qui essentiam & formalem rationem quantitatis ac-
curatè considerat, quippe quæ non nisi in ipsam et divisibil-
itate consistit. Falsum est quantitatis essentiam consi-
stere in divisibilitate. Divisibilitas immediatum con-
sequens est. Absurde dicitur hominis formale consta-
re in risibilitate: Canis in latrandi potentia. Debet
conceptus esse ipsius rei constitutivus. At possum ab-
que divisibilitate quantitatem concipere, per extensionem.
Porro. absurdus per quam est, qui divisibilitatem, scilicet po-
tentiam divisionis, rei positivæ formalitatem dicit. Res
positiva

positiva & actualis non nisi positivum & actuale habet
formam. Si dicat se intelligere actualem divisionem,
videat quod ratione omne quantum diviserit vel ipse, vel
alius.

35. De quinto Principio dictum supra quoque est.
Attribui corpuscula per aliam viam, quam cause eorum prescribunt. In fulcimentum hujus rei filtrationem sistit. At primo in filtratione aqua crassa est non in atomos soluta. Deinde ex ipsis metu Digbæi sententia filtratio non fit per attractionem: Aqua enim tanquam res facillimè mobilis in pannum se insinuat, ac quā vacuum invenit ingreditur. Igitur aqua agens est, non pannus. Quod filtrationem ipsam attinet, nondum explicata ea sufficienter est. Ut ut enim filum inferius artingat superius; & hoc modo humefaciat, nondum tamen monstratum est, cur aqua quæ nondum attigit inferius filium affluat, ac successivè ascendet? Hanc igitur causam non esse, apparet ex alio experientia. Substitue enim loco panni lignum, quod non minus imbibit aquam, & vide an similem habeat effectum.

36. Sextum Principium & Septimum nituntur prioribus presuppositis, nec habent difficultatem. Ventilabimus igitur eadem in discursu. Hæc sunt. 6. *Si in aere atomi ejusdem natum sint, cum corpore attrahente, attractio longè fit potentius!* 7. *Corpus attrahens, comites una secum auffert.* In universum notamus argumentum omne esse à particulari nec ullam vim habere. Attrahere vinum Spiritus, pannum aquas solet &c. Ergo attrahit vulnus quoq; vitriolum. Quasi verò sequatur: Anglia fanaticorum plenissima est. Ergo etiam aliæ regiones.

37. Ponemus Corollarii loco flosculum Anglicanæ superstitionis. Si quādo inquit accedit, ut dum lac coquuntur Angli, illud nimium ebulliat, & in ignem effundatur, fœmina vel ancilla omne statim opus relinquat, accurritque ut pultuarium ab igne removeat, eodemque tempore manipulum

nipulum salis capiunt illoq; prunam in qua lac effunde-
batur conspergunt. Si cur id faciant pe: conteris; di-
cunt fieri hoc ad prohibendum ne vacca ex uberum dolo-
re laboret. Item si quando apostemata in planta pedis
habeant vaccæ, observare oportet locum, ubi pedem malè
affectione fit statim primo gressu, quem ex stramine sur-
gens facit, in eodemque loco terram extensioni pedes re-
spondentem excindere, eandemq; in arbore aquiloni ex-
posita collocare, qui statim ac afflare glebam ceperit, bos
intra tres s' quatuor dies perfectè sanabitur. Ita si excre-
menta canis cuiusdam vel hominis comburantur, homo
moriatur. Pulcrum beneficium quod nec abjectissimum &
taediosissimum absque usu insigni, abjicit. Nos denuò mo-
nemus; Sapiant meliora & Deum tentare, dæ-
monem sequi desinant.

SOLI DEO GLORIA.



Coll. diss. A 95, Musc 44